

pitulum sede vacante non tenebatur constituere vicarium, sed poterat jurisdictionem ad se devolutam per se ipsum exercere, arg. c. *Si episcopus*. et c. *Ecclesie*. de *Supplend. neglig. praelat.* in 6; Pirhing h. t. num. 77, citans Abbatem in c. *Irrefragabili*. num. 2, de *Offic. ordinari.* Verum de facto ad id tenetur capitulum.

72. *Intra quod tempus vicarius capitularis sit eligendus?* — Porro ex allegetis concilii Tridentini verbis clare patet imprimis tempus, intra quod, sede vacante, eligendus est vicarius capitularis generalis, quod est spatium octo dierum, a die notæ vacationis computandum: ante electionem vicarii autem infra illos octo dies faciendam, administratio jurisdictionis residet penes totum capitulum. Barbosa, de *Canonicis et dignitatibus*, cap. XLII, n. 29, et part. III, de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 54, n. 168; Zerola, part. I. *Praxis episc.*, §. *Capitulum*, § 3, addens, quod ista electio vicarii non necessario sit facienda per vota secreta; Nicol. Garcias, part. V, de *Benefic.* cap. VII, n. 6, et n. 21, et alii.

73. *Debet is esse doctor, aut licentiatuſ sacrorum canonum, sicque præfertur canonista theologo.* — Insuper patet ex iisdem verbis, quod vicarius capitularis debeat esse doctor, aut licentiatuſ sacrorum canonum; sicque quoad istud officium canonista præfertur theologo: adeo quidem, ut omisso canonista non possit doctor theologiæ in vicarium capitularem sede vacante eligi; prout censuit sacra Congregatio concilii sub die 28 augusti 1621, ac refert Barbosa cit., cap. XLII, n. 53, et Garcias, cit. cap. VII, n. 9 et 10. Imo nec potest præexistens vicarius demortui episcopi confirmari, quando non fuit doctor, aut licentiatuſ canonum; sed debet alius eligi, qui sit talis doctor, vel licentiatuſ, si adsit in capitulo, ex sententia ejusdem sacre Congregationis, de qua Garcias cit. n. 10.

74. *Quid agendum, si non adsit canonista in capitulo? An in vicarium capitularem possit eligi extraneus?* — Quod si vero ejusmodi canonista non adsit in capitulo, sufficit eligere talem, qui alias, quantum fieri potest, sit idoneus, juxta allegatum concilium Tridentinum. Poterit tamen capitulum in actu deputationis, dare ei consultorem doctorem canonum: vel eligere personam extraneam in vicarium capitularem; cum hic non necessario sit eligendus de gremio ipsius capituli, quamvis ubi in hoc reperitur idoneus, cæteris paribus merito sit præferendus. Gar-

cias cit. cap. VIII, n. 13, allegans declarationem sacre Congregationis, ac sequitur Barbosa, cit. cap. XLII, de *Canonic. et dignit.* n. 37.

§ IV.

DE POTESTATE VICARII GENERALIS, AC CESSATIONE SUI OFFICII.

75. *Vicarius generalis episcopi, et capitularis, statim ac electus est, accipit jurisdictionem a canone.* — Quæritur I. Quænam vicarius generalis possit, vel non possit facere, vi officii sibi generaliter commissi? Ubi supponitur, quod vicarius generalis statim, ac per episcopum constituitur, eo ipso a lege seu canone jurisdictionem accipiat, arg. cap. II, h. t. in 6, et notat Barbosa part. III, de *Offic. et potest. episc.* alleg. 54, n. 44; Sanchez, lib. III, de *Matrim.* disp. 29, n. 13; Fagnanus c. *Quod nobis*. n. 45, de *Clandest. desponsat.* et alii. Atque hoc ipsum procedit in vicario electo per capitulum sede vacante: nam hoc ipso, quod eligitur, transit in eum tota jurisdictio ipsimet capitulo competens; adeo, ut non sit necessaria specialis commissio; cum concilium Trident. cit. sess. 24, cap. XVI, arctaverit capitulum ad constituendum vicarium, qui jurisdictionem suam administret. Nicol. Garcias, part. V, de *Beneficiis*, cap. VII, n. 18, citans alios. Unde quæstio remanet, quænam possit vicarius ita constitutus facere vi officii sibi generaliter commissi, ac præscindendo a speciali ampliatione, vel limitatione suæ potestatis.

76. *Vicarius generalis, virtute officii sibi generaliter commissi, regulariter potest ea omnia, quæ episcopus.* — Resp. I. Vicarius generalis episcopi per commissionem officii sui sibi generaliter factam, regulariter potest ea omnia, quæ ipsi episcopo concessa intelliguntur: nisi fuerint specialiter in jure excepta, vel sint res arduæ, et magni præjudicii, quas verisimiliter nollet episcopus sine suo præscitu expediri. Ita Nicol. Garcias, cit. part. V, cap. VIII, n. 65, et seqq.; Barbosa allegat. 54, n. 59, et seqq.; Rebuffus in *Praxi benefic. tit. Forma vicariatus*, n. 30, et seqq.; Pirhing h. t. n. 41, et alii.

77. *Quia constituit unum tribunal cum episcopo.* — Ratio primæ partis est: quia vicarius generalis constituit unum tribunal cum episcopo; ut habetur cap. II, de *Consuetud.* in 6, ibi: « Cum sit idem auditorium utrius-

§ IV. DE POTESTATE VICARII GENERALIS, AC CESSATIONE SUI OFFICII. 537

que; » id est episcopi et officialis sui. Ejusque personam representat. c. *Romana*. de *Appellat.* in 6. Ergo, quod potest episcopus, censetur et alter posse, nisi aliquid fuerit specialiter exceptum, aut res sit valde ardua.

78. *Dummodo non sint in jure specialiter excepta, neque res arduæ, et magni præjudicii.* — Altera pars ex eo patet: quia, tacendo ea, quæ in jure specialiter sunt excepta (de his enim nulla amplius subesse potest dubitatio) si res sit valde ardua, vel magni præjudicii, tunc locum habebit reg. 81 juris in 6. « In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. » Concordat c. *Cum in generali*, h. t. in 6, ubi ex hoc fundamento resolvitur, non posse vicarium generalem conferre beneficia ecclesiastica, quorum collatio pertinet ad episcopum, nisi beneficiorum collatio fuerit ipsi specialiter commissa. Simile quid habetur in c. *Qui generaliter*. § 1, de *Procurat.* in 6, ubi procurator generaliter constitutus ad negotia, potest agere, ac experiri; exceptis tamen casibus, qui mandatum requirunt speciale.

79. *Unde is cognoscit omnes causas ad episcopalem jurisdictionem pertinentes, quæ non requirunt specialem commissionem: adeo, quod stet præsumptio pro ipso.* — Resp. II. Vicarius generalis vi officii generaliter sibi commissi, potest omnes causas ad episcopalem jurisdictionem pertinentes, ac specialem commissionem non requirentes cognoscere, atque expedire: adeo, quod stet præsumptio pro ipso, ejusque potestate, donec ostendatur, sive jure scripto, sive recepta ecclesiarum consuetudine, hunc vel illum casum inter speciales recenseri. Ita desumitur ex c. *Licet*. 2, h. t. in 6, ubi circa inilium pro regula statuitur, « quod in officiale episcopi per commissionem officii generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur: » et postea primum certi casus inde excipiuntur; ac notat Layman ibid. n. 1; Garcias, cit. part. V, cap. VIII, n. 65, et alii. Habet quippe vicarius jurisdictionem ordinariam, et quidem eandem, quam episcopus, ubi non est limitata; cum sit idem auditorium, seu tribunal utriusque, cap. II, de *Consuetud.* in 6, sicque merito censetur stare præsumptio pro ipso, donec probetur casus esse exceptus.

80. *Excipiuntur tamen causa criminales.* — Resp. III. Excipiuntur autem imprimis causæ criminales, utpote quæ inter negotia magis ardua connumerantur; cum in eis tractetur de

vita hominis, et de pœna graviter infligenda. arg. c. *Veniens*. 15, et c. *Qualiter*. 24, de *Accusation.* Ac proinde in generali mandato non veniunt, sed opus est speciali expressione, c. *Licet*. h. t. in 6. Atque hoc adeo verum est, ut si vicarius generalis sese causis criminalibus absque speciali mandato intromittat, processus ipso jure sit irritus, ob defectum jurisdictionis. Federicus de Senis, consil. 220; Rebuffus in *Praxi benefic. tit. Forma vicariatus*. n. 252. Idque clare desumitur ex cit. c. *Licet*, h. t. in 6, ubi, cum Pontifex præmississet, quod per commissionem officii generaliter factam officiali episcopi, causarum cognitio in eum transferatur, illico, notanter subjungit: « Potestatem tamen inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eundem: nisi sibi specialiter hæc committantur. » Hactenus Pontifex.

81. *Utrum nihilominus vicarius generalis sine speciali commissione possit inquirere de subditorum defectibus, hosque punire, et qua ratione?*

— Verumtamen hæc ipsa exceptio quasdam patitur limitationes. Prima est, si vicarius de quorundam excessibus inquireat ad effectum referendi eos episcopo, si opus fuerit; non vero, ad effectum puniendi eos per se ipsum. Secunda est, si inquireat, non ut puniat delinquentes, aut aliquem eorum suo beneficio, vel officio privet, sed ut errantes emendet, et scandala præcaveat. Tertia est, si inquireat ad pœnam pecuniariam tantum, vel aliam consimilem, non autem ad pœnam depositionis: nam in hisce casibus posse vicarium generalem procedere contra delinquentes absque speciali commissione episcopi, tenet Ancharanus in c. *Licet*. § *Sed hic queritur*. et Layman, l. id. n. 2, h. t. in 6; Sbrozcius, de *Offic. vicar.* lib. II, quæst. 143; Franciscus de Pavinis, de *Potest. capit.* part. II, q. 10, n. 31; Zechius, de *Republ. ecclesiast.* cap. XXIII, vers. *Decimo non potest*, et plures alii. Accedit ratio: quia in duobus primis casibus nulla intervenit punitio, per ipsummet vicarium exercenda; in tertio autem casu intervenit dumtaxat levis punitio. Atqui quælibet jurisdictio, præsertim ordinaria (qualem habet vicarius generalis), debet habere annexam quandam potestatem coercitivam: saltem modicam, ne alioquin sit inefficax; ut dicitur L. ult. ff. de *Offic. ejus, cui mandata est jurisdict.* addita illa ratione: « Quia juris-

dictio sine modica coercitione, nulla est.»

Confirmatur hoc ipsum ex mente dominorum de Rota, decis. 66, *In novis*, sub. tit. de *Offic. vicar.* decis. 2, ubi dicunt, ex generali potestate vicarium inquirere posse. Horum enim opinionem conciliando cum cit. c. *Licet*, h. t. in 6, restat dicendum, quod capitulum istud loquatur de inquisitione tendente ad gravem punitionem, ut puta, amotionem alicujus a beneficio, vel officio, de qua ibidem fit mentio, et qualem vicarius generalis nequit instituire absque speciali commissione episcopi: contra vero dicta decisio Rotæ procedit cum limitationibus supra enumeratis. Rebuffus in *Praxi benefice*. part. I, tit. *Forma vicariatus*, n. 166. et 169; Bertachinus, de *Episc.* part. VII, lib. VI, q. 13; Pax Jordanus, vol. II, lib. XII, tit. I, n. 224.

82. *Is non potest beneficia conferre.* — Deinde ex generali commissione nequit vicarius generalis beneficia conferre, text. clar. cap. ult. h. t. in 6, tum quia in generali concessione non veniunt illa, quæ quis in specie verisimiliter non esset concessurus, ut est collatio beneficiorum, quæ inter fructus episcopales computatur. Glossa magna, c. *Cum olim* 14. de *Majorit. et obed.*; nemo enim præsumitur jactare suum, L. *Lucius*, ff. de *Donationib.*; tum quia is regulariter donare non potest, cui honorum administratio, etiam libera, est concessa: atqui collatio beneficiorum voluntaria (ut loquitur Fagnanus c. *Ex frequentibus*, n. 4. de *Instit.*) est quædam donatio: quæ per eam exercetur liberalitas in cui dando, licet non in simpliciter dando. Textus, Glossa, et doctores in cit. c. ult. h. t. in 6.

83. *Bene tamen electos, et præsentatos, si digni reperiantur, in beneficiis instituere. Et quæ ratio disparitatis?* — Secus est dicendum de collatione beneficiorum necessaria, qualis locum habet in electis, et præsentatis a patronis. Potest enim vicarius, ratione officii sibi generaliter commissi, canonicè electos confirmare, atque præsentatos a patronis, si digni reperiantur, instituere in beneficiis; nam hæc duo sunt justitiæ, et necessitatis; cum electis, ac præsentatis, cæteroquin idoneis, acquiratur jus ad beneficium, et sic talis institutio non sit meræ liberalitatis. Glossa in cit. cap. ult. §. *Non possunt*, h. t. in 6. et ibi Joan. Andreas, n. 2; Ancharanus in fine, Garcias, part. V. de *Beneficiis*, cap. VIII, n. 34; Barbosa, cit. allegat. 54, n. 70; Fagnanus, d. c. *Ex frequentibus*, n. 5, de *Instit.* et

alii passim; quamvis dissentiat Rebuffus, ubi supra, n. 126 et seqq.

84. *Nequit unire, vel dividere beneficia.* — Ulterius vi sui officii generaliter commissi non potest vicarius Ecclesias, vel alia beneficia unire, dividere, aut omnino suppressere; nam hæc causæ inter arduas connumerantur. An autem in ejus manibus possit fieri renuntiatio beneficii absque speciali commissione episcopi, patet ex dictis supra, tit. 9, de *Renuntiatione*, § 1, n. 6. ubi negative responsam.

85. *Num sine speciali commissione possit dispensari in votis, juramentis, denuntiationibus matrimonii, etc.?* — Insuper vicarius generalis absque speciali commissione non potest dispensare in votis, juramentis aut legibus etiam in quibus potest episcopus dispensare: nam dispensatio est species quædam gratiæ ac remissionis, quæ in generali concessione non venit. Rebuffus, cit. tit. *Forma vicariatus*, n. 44, et seqq.; Layman, in cap. ult. 9. h. t. id limitans, nisi vel ipsum jus vicario generali talem potestatem dispensandi committat, prout contra Menochium, consil. 69, n. 55, vol. 11, Nicol. Garciam, d. p. 5, cap. VIII, n. 61, et nonnullos alios, probabiliter sustinet Sanchez, lib. III de *Matrim.* disp. 7. n. 10, de facultate dispensandi circa denuntiationes matrimonii, juxta concilium Trident. sess. 24. cap. 1. de *Reform. matrim.* Vel nisi vicarius sciente, et tolerante episcopo, dispenset in casibus frequenter occurrentibus, ut puta circa jejunia, festa, et hujusmodi.

86. *Vel absolvere a casibus episcopo reservatis?* — Rursus vicarius generalis nequit absque speciali commissione absolvere a casibus episcopo reservatis, arg. c. *Si episcopus*, 2. de *Pœnit. et remiss.* in 6, ac tradit Rebuffus loc. cit. n. 179; Barbosa d. allegat. 54, n. 116; Engel, h. t. n. 10 et alii.

87. *Ac dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientes, etc., in vim concilii Tridentini?* — Similiter non potest vicarius generalis absque speciali mandato dispensare in irregularitatibus, et suspensionibus ex delicto occulto provenientes, nec absolvere ab aliis casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, sicut potest episcopus in vim concilii Tridentini, sess. 24, cap. v, de *Reform.* Quia concilium hanc facultatem non tribuit vicario generali, nisi specialem commissionem ad hoc habenti; prout liquet ex illis verbis ejusdem: « Per seipsos, aut vicarium

ad id specialiter deputandum. » Rebuffus ubi supra, num. 44, et Barbosa, num. 121; Garcias d. cap. VIII, n. 47, et 48; Engel, cit. n. 10 et alii.

88. *In praxi circa talia debet attendi forma vicariatus.* — Tacentur plures alii casus, de quibus late disputant doctores, utrum ex vi officii sibi generaliter commissi, quidpiam circa eos possit, vel non possit vicarius generalis; prout videre est apud Rebuffum in *Praxi beneficiorum*, tit. *Forma vicariatus*, per totam; Barbosa, part. III, de *Offic. et potest. episcop.* allegat. 54, n. 60, et seqq. et alios. In praxi optimum erit inspicere formam vicariatus, sive instrumentum commissionis, quo quis institutus fuit vicarius generalis: per hanc enim episcopi quandoque majorem, vel minorem suo vicario concedunt facultatem.

89. *Facultas expediendi omnia, quæ sunt episcopalis potestatis, licet speciale mandatum requirant, quousque se extendat?* — Adde tamen prædictis, quod, licet episcopus concedat vicario generali facultatem exequendi omnia, quæ sunt episcopalis potestatis etiamsi, mandatum exigant speciale: adhuc vi hujus clausulæ non possit vicarius expedire ea, quæ requirunt speciale mandatum. Nam dicta clausula in jure censetur nimis generalis, ut c. *Qui ad agendum*, 4 de *Procurat.* in 6. sicque subintrat reg. 31 juris in 6. *In generali concessione*, etc. Secus dicendum, quando episcopus præfatam facultatem concedens expressit aliquem, vel aliquos de casibus speciale mandatum requirentibus, adjecta postmodum illa clausula: « Et omnia alia, licet mandatum exigant speciale: » tunc enim poterit vicarius etiam alia facere, quæ requirunt speciale mandatum, dummodo non sint graviora, vel majora expressis; prout in simili habetur decisum quoad procuratores in cit. c. *Qui ad agendum*, et Clem. 2. de *Procuratoriis*, ac notat Glossa fin. c. *Licet*, 2. h. t.; Garcias, d. cap. VIII, n. 68; Engel, h. t. n. 10. circa initium et alii.

90. *Utrum potestas vicarii generalis sit ordinaria vel delegata, non est tantum questio de nomine: et cur?* — Queritur II. An potestas vicarii generalis sit ordinaria, vel delegata? Celebris est hæc questio, et admodum inter doctores controversa, ut videre est apud Barbosam, in cit. part. III, allegat. 54, n. 26, et 30, et Sanchez, lib. III, de *Matrim.* disp. 29. n. 2 et 3, ac seqq., qui plurimos doctores pro, et contra allegant. Neque enim est tantum questio de nomine, utrum quis sit ordi-

narius, vel delegatus, et consequenter, an jurisdictio vicarii generalis sit ordinaria, vel delegata: quinimo in re ipsa plurimum interest, prout patebit ex differentiis inter judicem ordinarium, et delegatum existentibus, de quibus tit. seq. § 2. n. 41. et seqq. Accedit quod, quando jura aliquid committunt ordinariis, appellatione *Ordinariorum* veniant omnes ordinariam jurisdictionem habentes. Abbas in c. *Cum olim*, n. 2. de *Rescript.*; Sanchez, lib. III, de *Matrim.* disp. 29. n. 5, et alii, sicque nomine *Ordinarii* comprehenditur etiam vicarius episcopi, si revera polleat jurisdictione ordinaria; alias secus. Unde ad propositam quæstionem,

91. *Concluditur, quod is habeat jurisdictionem ordinariam.* — Resp. I. Vicarius generalis episcopi habet jurisdictionem ordinariam non delegatam. Ita desumitur ex c. *Romana*. § 1. de *Appellatione*, in 6. ac notat Glossa ibid. §. *Generaliter*, et alia Glossa in cap. *Licet*, 2. §. *Officialem*, h. t. in 6; Abbas, in c. *Quoniam*, 14. n. 11. de *Offic. delegat.* et c. *Decernimus*, n. 12. de *Judiciis*; Felinus in *Rubric. de Offic. delegat.* n. 4; Covarruvias, lib. III. *Variar. resol.* cap. xx, n. 4. et *Practica quæst.* cap. iv, n. 8; Sperellus, decis. 97 *Fori ecclesiast.* n. 3; Maranta, in *Speculo aureo*, part. IV, dist. 5, n. 12 et 13; Nicol. Garcias, de *Beneficiis*. part. V. cap. VIII, n. 21; Mascardus, de *Probatationibus*, concl. 1413, n. 9, et 22, allegans Rotam decis. 1. de *Offic. vicar.* in *nov.*; Sbrozius, de *Offic. vicar.* lib. II. quæst. 55; Bernardus Sannig, h. t. cap. iv. n. 5; Pirhing eod. n. 35; Barbosa et Sanchez ubi supra, cum pluribus aliis, quos citant; quamvis Goffredus in *Summa*, h. t. et quidam alii, per Barbosam d. allegat. 54, n. 30. citati, oppositum teneant.

92. *Idque probatur.* — Fundamentum præcipuum conclusionis est: quia jurisdictio, quæ a lege, seu canone, ratione officii, seu dignitatis cuiquam conceditur, est ordinaria, l. *More*, et l. *Et quia*. ff. de *Jurisdict. omn. judic.* Atqui vicarius generalis episcopi habet jurisdictionem a canone, e. ratione sui officii sibi concessam, c. *Licet*, 2. h. t. in 6. cum similibus; ergo. Nec obstat, quod episcopus instituat, seu constituat sibi vicarium generalem. Nam eo ipso, quod is constitutus fuit ab episcopo, jus tribuit ipsi jurisdictionem, et quidem immediate, juxta dicta n. 75. Etsi enim episcopus mediet quasi nominans, et instituens, non tamen mediat quasi dans jurisdictionem: prout simile quid contingit in